Clarissime Heros;

Quanquam de nucleo respondes, cum ego de putamine rogarim, et Satyrae nostrae argumentum repellas
cum ego de Misogamia minus quam de ipso carmine [scriptione] sollicitus essem, facis nihilominus rem gratam, et
dum in Commentarioli nostri (ut videtur) commendatione diffusior, obliviscaris quodammodo tui; et parcius
illud agis quam agere te optassem. Effari nimirum quod in Satyra prohibes videbimur. Tibi tamen
silentium respectu pro sententia jubes, et tacite promittis quam absque molestia nostra [alia] non videris posse
attingere. Placet inventum, et ex Auctorum praeceptis modestiae captio: Te vel sic satisfactum
mihi credebam, nisi Dandis iis prohiberet, et quod magis ἀφρόνως respondere monueris supingere hanc
Eclogam jussisset. Non possum hujus indignationem effugere, nisi tuam denuo elicio. Sed, ut scis,
genitus mos est. Unde te rogo ne hanc saltem culpam reliquo nomini ascribas, sed extra eandem
sit quam nunc peccamus. Eclogae argumentum haud libens aperiendum, neque opus potiorem sit obtendi
te privatis molestiis aliorum. Sufficit credere nihil hic minus quam amatorem agi, neque eo dementiae
crescere nos ut, si impleri per juventutem liceat, tanti hanc insaniam putemus ut chartis illinire debeat.
Quod scire te interest sub Thyrsidos persona ipsus ego, sub Melidor Mauritius frater latet. Quem nomine
Sylvandri designemus et ipsum nomen et periphrasis docebit. Unde et intelliges exarata hic nobis
per occasionem itineris Anglicani; cui nunc secundo accingi nos scivisses, ni per Excubias nostras et fidem
angariarum licuisset qui primas illas ad te non detulerunt. De Legatione ad illum Regem splendidissima
instruenda non te latebit. Scito igitur oblatum nervus idem nobis munus esse quo in Legatione Veneta
functi sumus. Unde jam toti in illo sumus. et (nisi pudor esset et fatali) jam diu Patriam deseruisse
audire gestimus. Faxit Deus ut ex nostro et Reip. imprimis bono. Vale Vir summe, et si amas
aliquid per otium super Poematis nostris rejice. quandoquidem plusculos porro menses ab his molestiis nostris
immunes pollicemur. Hag. Com. 7° Cal. Quintil. Abri.

T. D. studiosiss.

CH.